




UPER est nunc addere regulam, ut uocant minorem, semicirculumque pensilem, quibus praesens Instrumentum penitus absoluitur. Quae quidem hunc in modum conficere poteris, praeparanda tibi erit regula quaedam, una cum pinnulis & foraminibus suis, quae sit per omnia non absimilis regulae longitudinum, de qua abunde in praecedentibus dictum est. Itaque pinnulis regulae huius semicirculum quendam adnecte, qui sit per se, & sine ulla contrectatione manuum mobilis, quiq; libere ad eandem regulam pendeat, quem postea in duas subinde partes aequales diuide, quatenus utrobique ad pinnulas, ubi fit motio, gradus non minus 90 assurgant. Et hic semicirculus altitudinis recte nuncupabitur. Ducendum etiam fuerit per centrum eius, subtilissime quidem ex serico concretum filum, cui filo perpendiculum, hoc est, plumbi particulam, appendere non grauaberis. Porro deinde semicirculum, sic regulae pinnulis appensum, una cum eadem regula adiunge centro Cristae, clauo aliquo retinente, ut tamen facilitas motus remaneat, id quod non tam hic, quam in omnibus Astronomicis instrumentis fieri praecipitur. Attamen ut nihil, in huius utilissimi instrumenti structura, tibi deesse conqueraris, hoc infra annotatum accipe Schema, & uale.



FINIS.